



V

10th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

16

Θεῷ εὐλογῶντι

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO

COENAE,
DECADIS TERTIÆ:
Problemata. V. VI. VII.


*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,*

JOHANNĒ FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
M. SIMONE SALICHIO
Magdæburgensi,

Ad 15. Februar. horis locoq. consuetis.

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.



VIRIS
REVERENDA DIGNITATE, ERU-
ditione eximia ac pietate spectabili clarissimis

D. D. Dn.

MATTHÆO STRAGUTIO ad Spiritum S.
M. IOHANNI NESNERO ad S. Iohannem
M. DAVIDI LAURENTII ad S. Udalricum
ELIAE POMARIO ad S. Petrum
HENNINGO HOPPIO ad S. Iacobum
IOHANNI MALSIO ad S. Catharinam
Ecclesiarum Magdæburgensium Seniori & Pastoribus
dignissimis.

Reverendis item ac doctissimis Viris

D. D. Dn.

CHRISTIANO VOGLERO ad S. Iohannem
IOHANNI BRANDIO ad Spiritum Sacrum
M. DAVIDI CICELERO ad S. Iohannem
ADAMO Groß ad S. Catharinam
M. AARONI BURCHARDE ad S. Ulricum
IOHANNI Koneken ad S. Petrum
IACOBO REINECCIO ad S. Iacobum
SIXTO Blumenthal ad S. Georgium
M. PETRO Hecht ad S. Gertrudam
NICOLAO BORNMANNO ad S. Annam
M. REINHARDO Bafen ad SS. Levinum
Ecclesiarum Magdæburgensium ARCHIDIACONIS, DIACONIS
& ministris fidelissimis.

μασῶν καὶ Φιλομάσων Φιλικοῖς

Dominis suis Promotoribus & Favoribus reverenter colendis.

Ἀλέξιον hanc Θεολογικῶν

in

gratae mentis obligationem,

verae amicitiae tesseram,

suiq; commendationem.

offert & exhibet

M. SIMON SALICHIUS.

PROBLEMA QUINTUM.

An sacrosancta Cœna ideò sit instituta, ut etiam sit Sacrificium propitiatorium verè ac propriè sic dictum, adeoq; pro vivis ac mortuis pariter offerendum.

Propositio I.



Ersamur adhuc in ea, Doctrinæ de Cœna parte, quæ est de *sine & fructu* ejus, cujus gratia eam Cœle-
stis *Εὐχάριστος* CHRISTUS sancijt. *Μεταβάσις.*

II.

In proximâ *συνήσει* fructûs præcipuos delibavimus, & qua ratione, Epuli hujus sacratissimi Contemptores, eò, ut fructuum illorum participes reddantur, compelli possint ac debeant, monstravimus.

III.

Illis verò fructibus Cœnæ DOMINICÆ veris ac genuinis PseudoCatholici in Papatu finem opponunt *falsum & adulterinum*.

IV.

Qualis iste? Fingunt ac fabulantur: DOMINUM unâ & eâdem *Ἀγνάξει* instituisse Cœnam: non modò ut foret Sacramentum, quo ipse suum corpus & sanguinem nobis offerat edendum & bibendum: sed simul etiam sacrificium propitiatorium, quo corpus & sanguis ejus, pro vivis & mortuis, Deo offerenda. *Opinio Romano-Catholicorum.*

V.

Ita enim Jesuita Canisius in Catechesi sua:

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis novæ sacrificium & oblatio munda, cruentis legis Judaicæ sacrificijs incruenta succedens, qua pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Vnde fit, ut Eucharistia

A 2

charistia non solum à fidelì populo sumatur, sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicam passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, semperq; oblata fuerit in Ecclesia Dei.

m. fol. 19.

VI.

Expressius verò Areopagitæ Tridentini:

Can. I. de Missa:

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem, anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, ut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumentis, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

VII.

Nec non horum præco vel ἐξαγγέλωρ χαλκεόφωνο
Bellarminus:

lib. II. de Missa cap^o I.

Contrarium docet, ac docuit semper Catholica CHRISTI Ecclesia, & Synodus Tridentina, ut rem totam penitus declararet, sess. 22. Can. 3. aperte docuit: sacrificium Missæ non solum propitiatorium esse, pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus atque adeò mortalibus: Id enim significat, cum ait. Crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. Præterea non solum impetratorium esse spiritalium beneficiorum; sed etiam temporalium, & idcirco offerri posse pro peccatis, & pro quibuscunque alijs necessitatibus.

IIIX.

Ex his quivis intelligens intelligit, quòd sententia Romano-Catholi.

Catholicorum, quoad præsens istud Problema, ad huncaphorif-
mum revocari possit ac debeat.

*Eucharistia non tantummodo est Sacramentum: sed etiam Missa, id est,
sacrificium externum verè ac propriè sic dictum, idq; propitiatoriu-
um, in quo corpus & sanguis CHRISTI, pro vivis pariter & defunctis
in purgatorio, offerenda. IX.*

Contra hanc ἀνερόπολι Monarchiæ AntiChristianæ depu-
gnandum nobis acriter & alacriter, in hoc circo Theologico,
duplici armorum genere, quorum uno illius structura: altero structu-
ræ istius fulcrum funditus diruenda.

X.

Arma vel instrumenta, quibus structura illius ἀνερόπολις di-
ruenda, huic machinæ Syllogisticæ appendimus:

*Quæcumq; doctrina ex diametro pugnat. I. cum Scripturæ Divinitus
revelatæ autoritate. 2. cum institutione Cœnæ DOMINICÆ;
3. cum perfectione sacrificij crucis CHRISTI: 4. cum veritate æ-
terni sacerdotij CHRISTI: 5. cum natura Novi Testam: 6. cum
systemate penè toto articulorum fidei: quæ insuper 7. extructa
est ex puris ingenij humani commentis: quæ præterea 8. laborat
contradictionibus: 9. longè post Apostolorum demum tempo-
ra: in Ecclesiam invec̃ta: quæ deniq; 10. infinitis propemodum
abominationibus scatet: ea doctrina caret fundamento, impia est &
nova: ac proinde ex Ecclesiæ pomarijs proscribenda.*

Atqui talis est doctrina Romano Pontificiorum de Missa jam
indicata, id est, pugnat cum Scripturæ Divinitus revelatæ autori-
tate. Ergo.

XI.

Connexi in Propositione solidam veritatem, & veram solidi-
tatem nemo negaverit, nisi ἀθεῖ.

XII.

*Assumptionis decem sunt membra, quæ, qua fieri potuerit brevi-
tate ac perspicuitate, ordinè confirmanda singula.*

XIII.

Ac primò quidem, quòd doctrina de Missa pugnet cum
Scripturæ Divinitus revelatæ autoritate: inde exsplendescit, quòd
Scriptura in Novo Testamento nulla alia agnoscit Christia-
norum Sacrificia, præterquam i. interna illa & Spiritualia,

A 3

quæ

I.
Structura isti-
us ἀνερόπο-
λις dirui-
tur.

παινοπλία
Syllogistica X.
membrorum.

Probatio sin-
gularum X.
membrorum.

I. Pugnat cum
Scriptura.

quæ (a) εὐχαριστικά, & metaphoricè sic appellata, solumque solius
CHRISTI sacrificium, in ara crucis semel peractum, quod (b)
ἱλαστικόν & propriè ita dictum.

(a) Psal. 50, 14, 23. Psal. 51, 19. Psal. 141, 2. Osee. 6. 14, 3.
Rom. 12, 1. Heb. 13, 15, 16, 1. Pet. 2, 5.
Lutherus Tom. 1. len. Germ. f. 366. & seq.

(b) Heb. 9, 12, 14, 26. 19, 14.

XIV.

Maximè autem non tam ἀγραφον: quàm ἀντίγραφον,
quòd missam volunt esse sacrificium externum visibile, propriè
ita dictum: & tamen non cruentum: sed incruentum.

XV.

ἀγραφον est, quia ne minimum quidem jota de tali Sacrificio
novi Testamenti in universa Scriptura, cui soli nos religiosissimè
astricti, quippe quæ ἀνεπίσης ζυγός ἀπάντων καὶ γνώμων, καὶ κα-
νώων, docente Chrysostomo.

Homil. 1. in 2. Corinth.

XVI.

Ἀντίγραφον verò est, quia Scripturæ nullum Sacrificium
expiatorium, nisi cruentum.

Heb. 6. 9, 12, 14, 16, 18, 22, 25.

XVII.

Ac proinde esse Sacrificium propitiatorium: sed incruen-
tum est ἀντικείμενον ἐν ἀεθροκειμένῳ, omnium sine somno talium-
que terminorum connexio, qui mutua se invicem internecone
tollunt; posterior siquidem repugnat naturæ priori, quam di-
stinguere debebat.

XVIII.

II. Pugnat
cum institu-
tione Cœnæ
DOMINI.

Et II. quidem quòd Missa pugnet cum institutione Cœnæ Domini,
adeò verum est, ut etiam omnibus quatuor causis invicem diffe-
rant sibiq; mutuò adversentur.

XIX.

1. Causa efficiente: Missæ enim autor est Pontifex Romanus, vel
Antichristus, ut ex canonibus Missaticis constat: Cœnæ autem
Dominicæ ipse CHRISTUS.

Matth. 26, Marc. 14. Luc. 22, 1. Cor. 11.

XX. 2. Materiâ

XX.

2. *Materia.* Missa non constat ex pane & vino cum corpore & sanguine CHRISTI sacramentaliter unitis: sed in corpus & sanguinem CHRISTI per transubstantiationem transmutatis: Cœna verò DOMINI instituta est, ut unâ cum pane & vino, extra omnem mutationis aleam positis, corpus & sanguinem CHRISTI accipiamus.

XXI.

3. *Forma.* In Missa sacrificuli actio & intentio primaria & interna est, conficere ex pane corpus CHRISTI, itemque offerre sacrificium incruentum pro vivis pariter & mortuis, quod urrumque à DEO nec mandatum nec institutum, quemadmodum nec actiones externæ, cujusmodi multivarix eæque perquam ridiculæ gesticulationes, de quibus Sleidanus.

Lib. 21. sub initium anni 1550.

XXII.

Cœna autem DOMINI constat actionibus à DEO mandatis: interna commemoratione mortis CHRISTI, &c. externa εὐλογία, δόσις, λήψις.

XXIII.

4. *Fine.* Finis enim Missæ principalis est offerre DEO sacrificium ἱλαστικόν: Cœnæ verò ut fides in nobis confirmetur, nosque ἐνώσις μυστικῆ CHRISTO inferamur.

XXIV.

III. Quòd Sacrificium Missæ pugnet cum sacrificio crucis, & III. Pugnat proinde nequaquam unum & idem sit, cum hoc; pro palam, & cum sacrificio tanquam in tabellula quadam, exhibent & ante oculos constituant sequentes sex differentiarum gradus, quibus toto, quòd dicitur, cœlo invicem distant discrepantq;.

XXV.

Ac I, quidem origine & auctoritate: Sacrificium enim crucis (c) ὤρισμένη θεῶν ἐργλῆ factum & peractum est: abominatio autem Missæ ab Antichristo Romano, instinctu Satanæ, primitus nata & procreata fuit.

(c) Acton. 2. Daniel. 11. 38.

XXVI. 2. Per

XXXVI.

2. *Personis offerentibus.* Illic est ipsemet summus & unicus noster Pontifex, JESUS CHRISTUS, qui semetipsū obtulit, (d) isq; παντελῶς ὄσιος, ἁκακῆς, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν πωλῶν: hic verò lordidus & impurus sacrificulus, ibi idem ὁ-ἀμαρτωσος Φέρος, καὶ προσφερόμενος: hic verò ille ab hoc longe est diversissimus.

(d) Hebr. 7.

XXVII.

3. *Materia.* In cruce enim CHRISTUS proprium suum corpus propriumque suum sanguinem obtulit. In Missa verò sacrificulus nudum putumque panem & vinum immolat.

(e) 1. Pet. 2, 24. Heb. 10, 10. Heb. 9, 12.

XXIX.

4. *Forma.* Sacrificium enim Crucis fuit cruentum: Illud verò Missaticum est incruentum, adeoque hoc ipso, quia incruentum, remissionis peccatorum non impetratorium.

Heb. 9. v. 22.

XXIX.

5. *Adjuncto temporis & numeri.* CHRISTUS enim SEMEL se obtulit, sicut Epistola ad Hebræos particula isthac (f) ἀπαξ *quingies*, & voce (g) μιᾶ bis repetitâ testatur: Missifices verò sum illud sacrum subinde iterant.

(f) Hebr. 7, v. 27. cap. 9, 12, 2, 6, 28. cap. 10. v. 10.

(g) Heb. 6. 10. v. 12, 14.

XXX.

Præ reliquis autem maximè ἐμφανικόν est, & aperta Negationis & Affirmationis ἀντιθέσις conspicuum istud:

Heb. 9.

Non enim in manu facta sancta ingressus est CHRISTVS, exemplaria verorum, sed in ipsum Cælum, ut appareat nunc in conspectu DEI pro nobis. NEQVE ut sæpius offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur in sancta singulis annis, per sanguinem alienum, quia oportuisset illum sæpius passum fuisse à condito mundo. NUNC autem semel sub consummationem seculorum, ad profligationem peccati, per immolationem sui-ipsius apparuit.

XXXI, 6. Ad-

XXXI.

6. *Adjuncto perfectionis.* CHRISTI enim sacrificium absolute est perfectissimum, perfectissimèq; absolutum, adeoq; (h) PERFECTOS reddit in PERPETUUM eos, qui sanctificantur, & proinde nullius planè reiterationis indiget: sacrificium autem Missaticum indies offertur, & sanè hoc ipso imperfectionis manifestò arguitur.

(h) *Hebr. 10, v. 14.*

XXXII.

IV. Quòd Missa pugnet cum *Sacerdotio* CHRISTI exinde patet: quòd CHRITUS est & dicitur (i) Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci, & cujus proinde Sacerdotium *CHRITI* *επαράβατον*, quique semetipsum DEO obtulit SEMEL per SPIRITUM SANCTUM, &c. Id quòd de Sacerdotibus Missificis nullo planè jure enunciari potest.

(i) *Psal. 110, v. 4. Hebr. 9, v. 26.*

XXXIII.

V. Quòd Missa pugnet cum *natura* Nov. Testam. vel ex eo apparet, quòd universa Lex ceremonialis, unà cum toto sacerdotio Levirico, quòd in sacrificijs maxime occupatur, penitus sublata & abrogata.

XXXIV.

VI. Quòd Missa pugnet cum *systemate* plurium fidei articulo- rum, hac aliquot saltem eorundem *επαγωγῆ, ὡς ἐν τύπῳ, ῥίβυς* *Articulis Fidei.* *ὀφθαλμοφανῶς* ex Symbolo Apostolico ostendimus.

Contra I. Symb. art.

Dicitur missificus creator sui creatoris.

Contra II. Art.

1. *Sacrificuli gloriantur se quotidie creare CHRISTVM, quem virgo MARIA semel tantum peperit.*
2. *Duplex constituunt CHRISTI corpus, unum quòd ex Maria virgine, alterum quòd è pane consecrato conficiatur.*
3. *CHRISTVM denuò, quantum in se, crucifigunt, & trucidant, qui tamen semel mortuus dicitur peccato, nuncq; in æternum vivere DEO,*

Roman. 6.

B

4. Sessio-

4. Sessionem ejus ad dexteram aeterni Patris, atq; inde, sicut & ex mysterio unionis, dependentem omnipresenciam pariter & omnipotentiam ejusdem negant, suam dum victimam, per angelum Deo Patri offerri volunt.

Contra III. Articulum.

1. Quod toti Christianorum ordini commune est, sibi solis missifici arrogent.
2. Operi operato sacrificuli tribuunt remissionem peccatorum soli solius CHRISTI merito unice adscribendam &c.

XXXV.

VII. Extracta est ex puris commentis.

VII. Quod Idolum Missae extractum sit ex puris purisque commentis: id confirmant utique nugae & fabulae Romanensium de transubstantiatione, de invocatione Sanctorum, de Purgatorio; quibus tota sacri illius strues tanquam fundamentis nititur.

XXXVI.

VIII. laborat contradictionibus.

VIII. Quod figmentum illud Pontificium multis laboret contradictionibus, tam clarum est, quam cum Sol in mero meridie lucet.

XXXVII.

Oculis, *ὡς ἐν οὐρανῶν*, subiicitur tantummodo nonnulla, quae, in Concilio Tridentino, Sess. Sexta in prooemio & cap. I. hinc inde sparsa, in Prooemio.

Esse sacrificium singulare: & esse hostias vel sacrificia, in numero plurali, quod posterius Canon Missae affirmat.

In cap. I.

CHRISTVM consummasse eos, qui sanctificandi crucis sacrificio: & tamen nihilominus sacrificium missae subinde esse celebrandum, in remissionem peccatorum.

Esse illud sacrificium visibile; & tamen corpus CHRISTI ibi non videri.

Hostiam unam & eandem offerri, quae in cruce oblata; sed in cruento modo, &c.

XXXIX.

IX. Longè post Apostolorum tempora in Ecclesiam in-
vecta.

IX. Quod Sacrificium Missae Papisticum longè post Apostolorum tempora in Ecclesiam in-
& confessione constat, Lib. II. de missa c. 20.

XXXIX.

Ibi enim de Canonis missatici antiquitate disputans expressè scribit :

PRIMUM igitur illud constat, Canonem nostrum integrum, ut eum nunc in Missalibus habemus, fuisse in usu Ecclesie ante annum Domini DCCC.

XL.

Vnde in promptu est colligere : sacrificium Missæ Papiæ, longè demum, post Apostolorum tempora, fuisse excogitatum, & in Ecclesiam introductum.

XLI.

Apostolos verò quod attinet : Platina certè testis est, ipsos nudè & simpliciter celebrasse cœnam, sicut & eorum successores, usque ad Sixtum I.

XLII.

VIII. Quòd Missa infinitis ferè abominationibus scateat : VIII. Scateat abominationibus.
notius est proh dolor quàm expedit.

XLIII.

Audiamus modò aliquas è Canone Missatico, in quo :

1. Pro CHRISTO intercedunt ut ipsum pro hostia acceptare velit.
2. Ineptà κακοζηλία verba de donarijs piorum eorumq; memoria prepter exemplum piæ imitationis retinent.
3. Eadem impiè transferunt, ad defunctos, istiq; oblationibus & sanctis redemptionem animarum & spem salutis assignant.
4. Petunt ut DEVS pane nondum consecrato placetur.
5. Somniant panem & vinum in corpus & sanguinem CHRISTI transsubstantiari.
6. Transformant Sacramentum Cœnæ in sacrificium.
7. Mutilant verba institutionis.
8. Laicos usu Calicis sacrilegè privant.

Et quæ sunt hujus generis alia, partim inepta, partim blasphema, partim superstitiosa.

B 2

XLIV. Qui

XLIV.

Quibus ita expeditis, stat firma fixaq; conclusio: quòd videlicet doctrina Flaminum Romanorum careat fundamento, sit impia & nova, ideoque ex pomeriis Ecclesiæ proscribenda.

XLV.

Et sic structura illius ἀνεγπόλεως diruta: diruamus jam etiam ejusdem fulcra.

XLVI.

II. Diruuntur
istius structu-
ra fulcra.
numero VIII.

Fulcra verò, quæ Romanenses structuræ illi supponunt, sunt quædam Scripturæ oracula, quæ homines illi, (q) Petri sententiâ, ἀμαθεῖς καὶ ἀσημεῖτοι, ad suum illud missale sacrum, torquent.

(q) 2. Epist. c. 3.

XLVII.

A qua violentiâ ut vindicentur præcipua, instituti nostri jam fert ratio, postulante id dominâ Veritate, cui nos devotissimi.

XLIX.

Observabimus *Ordinem Biblicum*, ubi, primò omnium in nostrum prodit conspectum *cap. 14. Genesios*, unde (r) *Bellarminus* arripit historiolum de Melchizedeco, quòd Abrahamo, cum vernis, ex prælio reduci, obtulerit panem & vinum.

(r) *lib. 1. de Missa c. 6.*

XLIX.

Infert indè: Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchizedeci. Jam verò Melchizedecus panem & vinum obtulit. Ergo & CHRISTUS, sub pane & vino, offerendus est, & quidem, in Eucharistia, sub specie panis & vini institutâ. Sed *implex* committit *Sophisma petitionis principij*.

L.

Prius enim quòd attinet: ne uno quidem apice probari potest; quòd Melchisedecus panem & vinum obtulerit DEO: sed simpliciter dicitur;

Et Melchisedech Rex Salem protulit (N^o 17) eduxit vel fecit exire) panem & vinum, septuaginta reddiderunt ἐξήνευκον ἄρτους. trug Brot vnd Wein herfür.

2. Et

L I.

2. Et sanè quòd vocabulum panis attinet: illud utique ἰδιω-
τισμῶ Hebrææ linguæ, non tantùm accipitur pro pane proprie
sic dicto in specie: sed pro quibusvis etiam cibus in genere.

Gen. 18. v. 5. cap. 43, 31. cap. 49. 20. Luc. 14. v. 1.

L II.

Quòdque isthæc significatio etiam hujus sit loci, verbum
נִצִּיחַ haud obscure arguit.

L III.

3. Si interpretatio Jesuitæ haberet locum: sequeretur oblatio-
nem Melchisedeci non DEO: sed Abrahamo servisq; ejus fa-
ctam fuisse. *Ἡ* enim, non autem DEO, panem vinumq; pro-
tulisse legitur.

L IV.

Sequeretur *item*: sacrificium panis & vini non esse propri-
um Melchizedeci; siquidem Aaronici quoque sacerdotes, panem
& vinum obtulisse consueverunt, quibus tamen ille ἀντιδιηρη-
μένῳ.

Heb. c. 7. 11.

L V.

Sequeretur *præterea* sacrificium illud Melchizedeci fuisse
illegitimum, cum nullibi in Scriptura præscriptum; secus ac, cir-
ca cetera Veteris Testamenti sacrificia omnia ac singula, factum.

L VI.

Sequeretur *deniq;*, si maximè concedendum foret sacrifi-
cium à Melchizedeco oblatum: illud fuisse (1) εὐχαριστικόν, non
verò ἰλαστικόν, quale sacrificiis Missæ.

(1) Gen. c. 14. 20.

L VII.

Et quid multis? omnes textus illius circumstantiæ osten-
dunt, nihil aliud describi ibi, quàm hospitalitatis officium à
Melchizedeco exhibitum Abrahamo, qualia exempla & alibi in
Scriptura literis consignata extant.

Gen. c. 18. c. 19. 2. Reg. 6.

L I X.

Posterius porro quod spectat: ad Hebræos quidem c. 7 ty-
pus ille Melchisedecianus accuratissime evoluitur & explica-
tur:

B 3

tur:

tur: de oblatione tamen illa panis & vini, quæ vel per Melchisedecum vel per CHRISTUM illius antitypum præstita fuerit, verbum omnino nullum. LIX.

In quibus verè typus Sacerdotij Melchisedeciani, ad quem *Psal. 110.* digitus intenditur, propriè consistat; non ex cerebro Bellarmini Cardinalitio: sed ex Apostolo eo loci intelligi datur. LX.

Ac sanè quod impletionem illius typi attinet, nequaquam ad Sacrificulorum missas ea referenda est, Aliàs enim falsum foret CHRISTI apophthegma, *Ioh. 6. 19.*

CONSUMMATUM est, LXI.

Falsum item foret CHRISTUM in cruce non fuisse Sacerdotem, secundùm Ordinem Melchizedeci, quod impiè negat Pistorius: affirmat Scriptura *Heb. 5. v. 6. & seqq.* & veritatis convictus Bellarminus *lib. 1. de Missa c. 6.*

LXII.

II. Ex Exodo *c. 12.* producunt figuram Agni Paschalis, cui successit Eucharistia, per illam olim adumbrata.

Bellarminus. lib. 1. de miss. c. 7.

Pistorius Wegweiser fol. 395, 396.

LXIII.

Resp. 1. Regerimus illud Thomæ: *Theologia symbolica non est argumentativa.* itemque hoc Augustini: *Figura nihil probat.*

LXIV.

2. Inficiamur, quòd Agnus Paschalis propriè fuerit sacrificium. Contrarium n. ex adjunctis illius nullo negotio doceri potest.

LXV.

3. Quatenus Agnus ille typus fuit CHRISTI, Agni, inquam, illius immaculati tollentis peccatū mundi, eatenus is à CHRISTO absolutissimè fuit impletus, teste Apostolo *1. Cor. cap. 5. itemq. Evangelista Iohanne c. 19, 36.* LXVI.

4. Si in Missa quotidie immolandus est CHRISTUS, ut satisfiat typo Agni Paschalis, sequentur hæc ἀτοπία: 1. Christum non perfectè implevisse legem. 2. Immolationem illam oportere esse cruentam, id quod negant Adversarij. 3. CHRISTUM oportere quotidie mori, quod contra illud *Rom. 6, 9.* LXVII.

LXVII.

III. Eandem responsionem quoque damus ad figuras ceterorum sacrificiorum, in quibus ulterius (t) Bellarminus errori suo patrocinium quaerit. (t) *lib. 1. de Missa c. 8. c. 9, c. 10.*

III,

LXVIII.

IV. Adducit (u) vaticinia Prophetarum, in quibus partim Sacerdotum & Levitarum, partim oblationum, munerum & sacrificiorum fit mentio:

IV,

(u) *1. Sam. 2, 35. Prov. 9, 1. Ies. 19, 20. Ier. 33, 17. Dan. 8 11. cap. 2, 31. lib. 2. de missa cap. 9. itemq. Mal. 1, 11. ibid. c. 10.*

LXIX.

Sed fallit & fallitur impudens Jesuita gemino ὀρθολογισμῶ.

LXX.

Primus est τὸ ἐπομένον à genere ad speciem definitam viciosissimam instituens collectionem, non ab similibus lupis, qui Magistro in disciplinam traditus ad singulas semper literas ingeminabat: agnus, agnus, agnus. LXXI.

Alter est ὁμωνυμία in vocabulo sacrificij, quod ut supra annotatum, in oraculis Prophetarum, accipitur, de sacrificijs Christianorum εὐχαριστικοῖς. LXXII.

Et scire sanè debebat Jesuita, si non esset in sacrarum literarum monumentis hospes & peregrinus: Prophetas describere cultum Novi Testam. vocabulis & phrasibus ceremoniarum, quae in V. T. tum erant usitatae.

LXXIII.

V. Afferret dictum (x) *Iob. 4, 21, 24.* Sed hoc de cultu adorationis non autem de sacrificio Missae accipiendum esse: tum verborum sonus, tum CHRISTI scopus clarissimè ostendunt.

V,

(x) *lib. 1. de Miss. cap. 11.* LXXIV.

VI. Pistorius ex verbis institutionis urget participia διδώμενον, κλώμενον & ἐμχυνόμενον praesentis temporis, indeque confici somniat: CHRISTUM corpus & sanguinem suum obtulisse in praesenti Coenae actu. Wegweiser. p. 399, 400.

VI,

LXXV.

Obvertimus nos *Versionem Veterem*, cui decreto Synodi Tridentinae Antagonista affectus, ubi habetur tradendi verbum in futuro, *1. Cor. 11, 24.* 74. 2. *Cona*

LXXIV.

2. *Consuetudinem Scripturae*, describendi res futuras & praesertim beneficia CHRISTI passione ac morte ipsius acquirenda, verbis praeteriti vel praesentis temporis: tum propter certitudinem: tum respectu ad DEUM, cui futura aequè nota atque praeterita; imò nihil futurum nihil praeteritum, verùm praesentia omnia.

LXXV.

Exempla passim obvia sunt. Maximè verò huc quadrant, quae extant.

Joh. 10, c. 15, Joh. 13, 31. Luc. 22, 22.

LXXVI.

3. *Circumstantiam temporis*. Incidit enim Coenae institutio, in eam noctem, qua CHRISTUS jam Judaeis traditus, promissione nimirum vel sponione proditoris, qua Passionis CHRISTI factum initium.

Joh. 10, 17, 1. 1. Cor. 11, 23.

LXXVII.

VII. Ex iisdem verbis institutionis Bellarminus, & Pistorius ja-
ctant, vel maximè imperativum HOC FACITE.

Lib. 1, de Missa c. 12. Wegweiser. f. 403.

LXXVIII.

Sed confundunt linguas, Hebraeam, Latinam & Graecam.

LXXIX.

In Hebraea τ η ψ χ offerendi & sacrificandi quidem significationem habet: sed tum demum modò, quando cum re, quae sacrificanda, componitur. Talis verò res per τ δ τ δ τ in verbis institutionis intelligi nequit; quandoquidem illud non ad panem & vinum: sed ad τ accipere edere & bibere referatur.

LXXX.

In lingua verò Latina τ Facere absolutè positum nullibi significat idem quod sacrificare: sed quaecumque in hac accipitur significatione: tum semper res sacrificanda casu sexto additur. τ Hoc autem in verbis institutionis non esse sexti: sed quarti casus: patet ex Graeco τ δ τ .

LXXXI.

In lingua denique Graeca, quae verba institutionis descripta

pta

pra extant: verbum ποιῆν nec absolutè, nec constructè sacrifican-
di sensum admittit. LXXXII.

VIII. (y) Ex Act. 13, 2. verbum λειτουργῆν depromit, quod VIII
ministerium publicum significat. (y) l. 1. de Miss. c. 12.

LXXXIII.

Resp. à ministerio publico ad Missam Jesuiticam Jesuitica,
id est, planè informis & ἀσύστατος est Collectio.

LXXXIV.

IX. (z) Subjungit textum ex 1. Cor. 10. à v. 15. usq. ad 22, è quo
tamen plus elici non potest, quàm nos participes fieri corporis &
sanguinis CHRISTI pro nobis immolari in ara crucis; non autem
in mensa, quemadmodum nec εἰδωλόθυτα in mensa offerri con-
sueverant. (z) lib. 1. de Miss. cap. 14.

IX.

PROBLEMA VI.

*An & quomodo Cæna DOMINI conferre
dicatur remissionem peccatorum.*

LXXXV.

Inter fructus, qui redundant ex usu Cænae Dominicæ, de
quibus hætenus, ἀρετήρημα sibi vindicare potest is, quo illa di-
citur conferre remissionem peccatorum. *Occasione*

LXXXVI.

Ita enim θεόρρητον σόμα Lutherus in Catechesi sua, hoc pro-
ponens & exponens erotema:

Quid verò prodest, sic comedisse & bibisse?

RESPONSIO,

*Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in
REMISSIONEM PECCATORUM; Nempe, quòd nobis per verba
illa in Sacramento REMISSIO PECCATORUM, vita, justitia, &
salus donentur. Vbi enim REMISSIO PECCATORUM est, ibi est &
vita & salus.*

LXXXVII.

Contrà insurgunt & tumultuantur Zvinglio-Calviniani, Zvinglio-
transformando Sacramenta non tam Veteris, quàm Novi Testa-
menti (& sic etiam Sacramentum Cænae) in nuda ac pura signa si-
opinio.

C

gnificantia,

gnificantia, quibus nihil virtutis, ultra significationis usum, tribuendum: Zwinglius de peccato Orig.

Signa (id est Sacramenta) NIHIL, QUAM externa res sunt, quibus NIHIL in conscientia efficitur.

Idem in Confess. ad Carol. V. articul. 5.

Credo imò scio: omnia Sacramenta tam abesse, ut ne gratiam conferant, ut afferant quidem aut dispensent.

Tossanus in script: cont. D. Marbach. p. 234.

Falsò à nobis doceri, asserit, Sacramenta Novi Testamenti esse à DEO instituta, ut sint Instrumenta seu Media, per quæ CHRISTVM unâ cum remissione peccatorum accipiamus, Sacramenta enim Novi Testamenti non habere reverà & essentialiter in se thesauros & caelestia bona, quasi per illa nobis donetur remissio peccatorum: sed TANTVM esse Signa & Sigilla.

Beza parte II. Resp. ad Coll. Mompelg. f. 117.

Neq; Verbo, neq; Sacramentis; Ultra significationis usum, vel TANTILLVM virtutis tribuendum est.

LXXXIX.

κατασκευή
sententia
Lutheri,

Sed pugnandum est pro Sacro hoc Catecheses Lutheranae Palladio, adversus μουσιχομασίνας; tum κατασκευαστικῶς, tum ἀνασκευαστικῶς.

XC.

κατασκευαστικῶς ostendendum, quod vera sit Lutheri assertio, Donari videlicet nobis remissionem peccatorum in Sacramento Cœnae, per verba illa pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.

XCi.

Fundamentum hujus Assertionis ponit Lutherus in Emphasi verborum: PRO VOBIS: IN REMISSIONEM PECCATORUM.

XCII.

Atqui hæc indivulso nexu cohærent, cum his ACCIPITE, EDITE: ACCIPITE BIBITE, quibus CHRISTI manducationem sui corporis, & bibitionem sui sanguinis sancijt.

XCIII.

Ideoq; Lutherus, in sequentis quæstionis expositione, remissionem peccatorum non disjungit: sed conjungit cum manducatione & bibitione corporis & sanguinis CHRISTI,

Quæ

*Quae Verba (inquiens) sunt VNA CVM corporali manduca-
tione caput & summa huius Sacramenti.*

XCIV.

Et sic fructus hic spiritualis annexus est manducationi & bibitioni corporis ac sanguinis CHRISTI: sed sub conditione fidei, qua is in hoc Verbo apprehendendus.

XCV.

Duo enim hic nobis proponuntur: 1. Res. 2. Verbum.

XCVI.

Res sunt Corpus ac Sanguis DOMINI. Hæc ore accipiuntur.

XCVII.

Verbum est de traditione corporis & effusione sanguinis CHRISTI PRONOBIS in remissionem peccatorum.

XCIIIX.

Hoc & thesaurus in hoc, remissio videlicet peccatorum, ut apprehendatur, in usu Cœnæ manducando corpus & bibendo sanguinem CHRISTI, requiritur fides, innuente id CHRISTO, dum postulat ut FACIAMUS hoc: in sui COMMEMORATIONEM.

XCIX.

His enim verbis comprehendit non tantum generalem beneficiorum CHRISTI commemorationem: sed etiam specialem eorum applicationem per fidem, sicut 2. Tim. c. 3, 8. interprete Philippo IX. artic. Bavarico. C.

Fides quippe ὄργανον ἀνιλητῶν κόν, quo thesaurus nobis ille applicandus in Cœna DOMINI, in qua is semper omnibus in universum communicantibus offertur.

CI.

Si enim nudum verbum Evangelij offert omnibus remissionem peccatorum: confert Credentibus: quanto magis id præstabit, verbum, quo corpus & sanguis DOMINI comprehensa, quodque Sacramentalibus signis confirmatum & obsignatum.

CII.

Rudioribus potest istud negotium declarari exemplo Baptismi, qui & ipse operatur remissionem peccatorum: sed id non nuda efficit aqua: sed fides cum aqua & verbo, aquæ additio conjuncta, interprete Luthero;

Qui potest aqua tam magnas res efficere?

R. B.

R E S P O N S I O.

Aqua certè tantas res non efficit, sed VERBUM DEI QUOD IN
& CUM AQUA EST, ET FIDES QUÆ VERBO DE LAQUA
ADDITO CREDIT, &c.

CIII.

Ita etiam Eucharistia confert remissionem peccatorum: sed
effectum hunc nobilissimum non gignit nuda corporalis man-
ducatio & bibitio: verùm fides unà cum corporali manducatio-
ne ac bibitione in hæc verba: *PRO VOBIS datur & effunditur in*
remissionem peccatorum.

CIV.

Sic enim idem veritatis Evangelicæ ὑπερασπιστῆς strenuus,
in ἐκθέσει proxime insequentis Erotematis:

Qui potest corporalis illa manducatio tantas res efficere?

R E S P O N S I O.

Manducare & bibere illa certè non efficiunt, sed illa VERBA, quæ
hic ponuntur; Pro vobis datur & effunditur in remissio-
nem peccatorum, quæ verba sunt UNA CUM corporali
manducatione caput & summa hujus Sacramenti: ET QUI
CREDIT HIS VERBIS, ILLE HABET, QUOD DI-
CUNT, ET SICUT SONANT, NEMPE, REMISSI-
ONEM PECCATORUM.

CV.

Et hæcenus quidem κατὰ σκευή sanæ ac germanæ senten-
tiæ Lutheri.

CVI.

ἰ. ἀνασκευή. ἀνασκευαστικῶς contra Sacramentarios disputatum est, in
ἐξηγήσει Probl. IV. I. Dec. Disput. de Baptismo.

CVII.

Jam hæc duo saltem περίσματα quasi superaddo.

CIX.

1. Calvinianos verè appellari Sacramentiperdas.

CIX.

Istâ enim suâ τερατολογία, qua nihil amplius præstare con-
tendunt Sacramenta, quàm ut fructus spirituales, v. g. in Bapti-
smo ablutionem à peccatis: in Cœna animæ refocillationem,
saltem

saltem significant & repræsentent, ipsam naturam & essentiam
Sacramentorum funditus perdunt & evertunt,

CX,

2. Eos nequaquam socios: sed Hostes esse Augustanæ Con-
fessionis.

CXI.

In hac enim conceptis verbis docetur, quòd Sacramenta in-
stituta sint non modò ut sint nota professionis inter homines, sed magis ut
sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad EXCITANDAM
ET CONFIRMANDAM FIDEM in hi, qui utuntur, proposita. Itaq; u-
tendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ
per Sacramenta EXHIBENTVR & ostenduntur. Artic. 3.

PROBLEMA VII.

*An Sacramentarij in rei veritate Cœnam
Domini etiam habeant pro Symbolo ac nota
discernente veram ac falsam Ecclesiam hu-
jusq; & illius membra quoad externam
professionem?*

CXII.

Haectenus de fructibus Sacrae Synaxeos primarijs ac principa-
libus: secundarius ac minùs principalis ejus finis est, ut sit nota publica
& in oculos incurrens confessionis, quæ veram & falsam Eccle-
siam hujusque & illius membra discernat.

Continuatio.
Cœna est nota
Ecclesie &
professionis
publica.

CXIII.

Calculo id suo Augustana comprobat Confessio, apertè ac
disertè affirmans, quòd Sacramenta ideò etiam sint instituta, ut
sint nota professionis inter homines. Artic. 13.

CXIV.

Qua de causâ quoque Eucharistia ordinariè non in privato
quodam angulo: sed, in cœtu Ecclesie publico, celebrari debet
ac solet.

CXV.

C 3

Es

Et hinc nomen *συνάξεως* Græca in Ecclesia originem tra-
xit suam; quò & Apostolus digitum quasi indicem videtur dice-
rexisse, scribens: 1. Cor. II.

συνερχόμενων νῦν ὑμῶν, ὅτι τὸ αὐτό.

CONVENIENTIBUS vobis in eundem locum.

CXVI.

Quamobrem si quis apud nos, qui Confessioni Lutheri ὁλο-
ψύχως sumus addicti, (unde & Lutherani, distinctionis ergò,
nuncupari consuevimus) ad sacram synaxin accedunt: ij hoc
ipso facto pactoque ὀφθαλμοφανῶς declarant: se γνησίως esse
Lutheranos, adeoq; confessionem nostrarum Ecclesiarum παρ-
ψηφεί approbare.

CXVII.

Sacramenta-
rij in hoc capi-
te, cum Luthe-
ranis consen-
tiunt quoad
ἑωρείαν.

Quid verò ajunt aguntque *Sacramentarij*? Dicam duobus
verbis. Si *ἑωρείαν*, & id quod fieri debeat, consideres, nobis consen-
tiunt: si verè *περάξω* & id quod fiat spectes: multos à nobis dissentire,
ὡς ἐν αὐτῷ φάρω,prehendes.

CXVIII.

Æquè enim, ut nos, perspicuè docent: quòd Cœna DOMI-
NI debeat esse nota & testificatio publica professionis fidei.

CXIX.

Imò non defuerunt, qui finem istum Eucharistiæ minus
principalem commutantes in principalem asserere non veriti: Sa-
cramenta esse SOLUM externa signa & notas professionis, atte-
stante id Curæ & ipso Factionis Sacramentariæ Socio.

CXX.

In Exegesi enim sua expressè scriptitæ.

*Sacramentarios priores, Carlostadium, Oecolampadium & Cin-
glium nimium extenuasse Sacramenta, quasi essent solum exter-
na signa, vel nota professionis CHRISTI absentis, tanquam A-
gamemnonis in Scena, neq; concessisse Sacramenta prodesse ad fi-
dei confirmationem.*

fol. 88.

CXXI.

Dissentiunt
quoad *περά-
ξω*.

Interim contrarium à Sacramentarijs quibusdam fieri in *περάξω*
tum Sermonè: tum Facto eorum ostendi potest.

CXXII.

CXXII.

Sermonem quod attinet: jampridem in orbe Christiano percrebuit; Bezam ejusq; Collegas, libello supplice, ab Illustrissimo Principe ac Domino Dn. FRIDERICO Comite VVirtenbergico & Mompelgartensi, inter alia petijisse, ut liceret S U Æ C O N F E S S I O N I S fratribus, suam confessionem, sine ullo alterius præjudicio, RETINENTIBUS, sacram Cœnam, ex aliorum manibus percipere; & ita mutuam fraternitatem colere ac testari:

δείξει.
1. τῶν λόγων

In Act. Coll. Mompelg. f. m. 569.

CXXIII.

Et eò quoque tendebat callidum Bezæ Consilium, qui dudum Gallis exulibus scripserat, ne uspiam Mompelgartensem Ecclesiam offenderent: sed absque multa disputatione ILLIC cõmunicarent, sicut annotatur in iisdem Actis. m. f. 571.

CXXIV.

Sed piè ac rectè factum tum ab Illustrissimo Principe: tum à Theologis, quod in talem συγκαθηλισμὸν consentire noluerunt, nec concedere, ut Galli sub sua Confessione, quod iterum atque iterum petebant, communicarent.

CXXV.

Factum porrò Sacramentariorum quod spectat: notius est proh dolor quàm expedit: aliquos eorum, in Ecclesijs, quas Lutheranaὶ ὀρθοξία devinctissimas: à Calviniana autem κακοδοξία alienissimas esse constat, ad sacram Synaxin accedere, cum tamen ne unica quidem sanguinis verè Lutherani in præcordijs ipsorum guttula: veneno autem Calvinistico affecta & infecta omnia.

2. τῶν ἔργων

CXXVI.

Hic scilicet est hominum istorum candor! hæc ingenuitas! hæc fides! Quas virtutes si in homine Politico non deprehenderis: an non ipsum meritò reprehenderis ut hominem nigrum, dolosum, perfidum & perjurum?

CXXVII.

Papistæ certè hac in parte multò sunt candidiores. Cum Lutheranis enim ad sacram synaxin accedere ipsis religio est. Ideoque communicaturi in ea se conferunt loca, ubi hodieque Papatus viget.

CXXIIX. Cal.



CXXIIX.

Calvinianis autem DEUM & homines ludificari nulla
planè religio, formido nulla.

CXXIX.

Et quid mirum, cum talem sibi & Deum in cerebro suo fin-
gant & imaginentur?

CXXX.

^{2.}
προβλήματα Sed finimus, & ex his quæ prolata & disputata sunt haec-
nus, duo elicimus *προβλήματα*, quorum unum *Præcones Verbi*, al-
terum *Auditores* concernit.

CXXXI.

Præcones Verbi enitentur quantum in se, ne Sacramentarij in
Ecclesias fidei suæ commendatas irrepant,

CXXXII.

Quod si omni ex parte prohibere non potuerint: caveant
ne cum alijs ad Cœnam accedentes infirmioribus sint scandalo,
DEUMq; & Ecclesiam tam frivole ludant.

CXXXIII.

Qua ratione autem id fieri conveniat: monstratum est supra
Problema I. Decadis II.

CXXXIV.

Auditores sciant se apud illos, qui à nostra religione vera ac
sincera abhorrent, non posse sanâ conscientiam uti Cœna.

CXXXV.

Ideò si vel studiorum, vel opificij, vel mercimoniorum
gratia inter illos conversari NECESSUM habeant: abstineant
potius ab usu Cœnæ, quàm ut conscientiam vulnerent suam.

CXXXVI.

referatur huc Lutheri Epistola, quæ habetur.

Tom. VI, len. f. 4.

Item.

Responsio ad V. questiones ιερωδευτικας.

Tom. V. len. f. 262, 263.


F I N I S.

AB: 195067

ULB Halle

3

003 019 209



56.





75
GEBHART WOLFFEN
HCALEVEYANTISSONN



16

Θεῶν εὐλογεῖν

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est
DE SACRAMENTO
COENAE,
DECADIS TERTIÆ:
Problemata. V. VI. VII.
*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,*
à
JOHANNÉ FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
M. SIMONE SALICHIO
Magdæburgensi,
Ad 15. Februar. horis locorum consuetis.

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.

